Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Verum est. Et sicut et sanctus apostolus iohannes dicit: quia maior est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo. Et his auditis confortatus in domino sanctus abbas moyses, reversus est in cellulam suam gratias agens, et glorificans domini nostri ihesu christi bonitatis potentiam.

ERAT quidam frater in heremo scithi, promptus et alacer in opere domini et in spiritali conversatione. Huic autem inimicus generis humani diabolus misit in cogitationes, ut recordaretur cuiusdam notae sibi mulieris pulchritudinem, et turbabatur in cogitationibus cordis sui vehementer. Contigit autem ex dispensatione domini, ut alius quidam frater de egypto veniret ad visitandum eum in caritate christi. Et dum inter se loquerentur, evenit sermo ut diceret ille frater de egypto, quia mortua est mulier illa. Ipsa autem erat in cuius persona impugnabatur supradictus frater. Hec cum audisset ille, post paucos dies abiit ad locum illum ubi positum erat corpus illius defunctae mulieris, et aperiens nocte sepulchrum eius, de pallio tersit saniem putredinis eius, et reversus est ad cellulam suam. Ponebatque illum fetorem in conspectu suo, et dicebat cogitationibus suis: Ecce habes desiderium quod querebas, satia te ex eo. Et ita in illo fetore cruciabat semetipsum, usque quo cessaret ab eo sordidissima impugnatio.

Duo fratres monachi abierunt in proximam civitatem, ut distraherent que manibus suis per totum annum operati fuissent. Unus autem ex eis egressus est, ut quedam sibi necessaria emeret. Alius